



PRINCIPIA IVRIS GERMANICI 1767, 8

IN

SUCCESSIONE ADSCENDENTIVM 21

FEVDALI

QVAE

P R A E S I D E

CAROLO FRIDER. WALCHIO

IVR. DOCTOR. ET PANDECT. PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
CVRIAE PROVINC. SAXON. COMMVNIS IVRISCONS. ORDINIS ET  
SCABINOR. COLLEGII ADSESSORE SOCIET. LATIN. IENENSIS  
EPHORO ET FLORENTINAE COLVMBARIAE, DVISEVRG.  
AC BREMENS. LITTER. COLLEGA

ACAD. H. T. RECTORE

D. VII. AVG. ANN. REP. SALVT. CIOIOCCCLXVII.

PVBlicAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

SVBMITTIT

IOANNES FRIDERICVS VOIGTIVS

RONNEBVRGENSIS, LEGVM CVLTOR.

---

I E N A E

LITTERIS STRAVSSII

PRINCIPALIVIS GERMANICI  
SUCCESSIONE ASCENDENTIVM  
F. V. D. A. L. I.  
CAROLO FRIDER. WALCHHO  
ADAM N. I. RECTOR  
EXPLICA. ERVDITORVM DISQVATIONI  
IOANNES FRIEDRICHVS VOIGTIVS  
LITTERIS STRASSI



PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

IOANNI

LIBERO BARONI DE

ROTHKIRCH ET TRACH

PERSDORFII STEVDENICI, NOEBDE-

NICII ET NEOSORGAE DYNASTAE

AQVILAE RVBRAE ET S. HVBERTI ORDINIS

EQVITI NEC NON SERENISSIMI DVCIS SA-

XO-ALTENBVRGENSIS AC GOTHANI A CON-

SILIIS SANCTIORIBVS ATQVE IN REGI-

MINE QVOD ALTENBVRGI FLORET

CANCELLARIO

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO

HASCE LEVIDENSES PAGELLAS

IN SIGNVM

DEVOTIONIS VENERATIONIS

ET OBSEQUII SVI

CVM VOTO ARDENTISSIMO

VT

**DEVS OPTIMVS MAXIMVS**

IPSVM, PATRIAE SOLATIVM

AC GENEROSISSIMAE EIVS GENTIS

DECVS SPLENDIDISSIMVM,

PER LONGAM ANNORVM SERIEM

SALVVM AC INCOLV MEM CONSERVET

CONSECRAT

ATQVE

EIVS TVTELAE SE SVAQVE STVDIA

EA QVA DECET REVERENTIA

SVBMISSE COMMENDAT

**PERILLVSTRIS NOMINIS**

CVLTOR OBSTRICTISSIMVS

IOANNES FRIDERICVS VOIGTIVS

ALTENBURGENSIS.



PRINCIPIA IVRIS GERMANICI  
IN  
SVCCESIONE ADSCENDENTIVM  
FEVDALI.

S. I.



**D**ISCREPARE leges Romanas ac patrias in succedendi ordine, ante decem; vel duodecim Iustra nemo iurisconsultorum adhuc extitit, qui id perspiceret, quum iis haud placeret, quod non saperet instituta Romanorum: ex his omnia iura deriuarent et in conciliandis moribus nostratium aequae ac peregrinis operam oleumque perderent; nostra autem aetate hospitem esse oporteret legumque nostrarum plane ignarum, qui in dubium vocare veller hocce dissidium. Neque antiquata esse constat, quae maiores de successione sanxerunt et quamuis ingenue fateri nos oporteat, multa hodie de illa valere, quae debentur Romanorum institutis; variae tamen cogitari possunt

A

possunt hereditates, in quibus sancte seruantur mores patrii hique facili negotio possunt indagari. Perflitere volumus in praesenti saltem in iure, quod leges ascendentibus in feudo, ab eorum liberis, turbato mortalitatis ordine, relicto, tribuunt quum pauca solum sunt, quae eruditi de illo iam protulerunt \*), paullo curatius illud perpendere possumus, si principia saltem iuris Germanici eruamus, quae hac in successione latent. Ante omnia itaque in rationem inquirere debemus. cur in eiusmodi hereditate feudali, maioribus relicta, patrios sequamur mores; hac autem exposita, ipsa principia iuris Germanici explicabimus, quae in illa adhuc obseruantur.

## §. II.

si sumamus feudum in notione propria, et sub eo *dominium vtil.* intelligamus, *alteri pro fidelitate praestanda, concessum*; nullo modo eorum in sententiam discedere possumus, qui Romanos illud inuenisse, sibi persuadent; sed id constanter negamus. Aliud quidem iurisconsulti nonnulli existimant, videlicet LUCAS DE PENNA \*\*), VDALRIC. ZASIVS \*\*\*), ANTON. DADIN. ALTESERRA \*\*\*\*), ANTON. CONTIVS \*), ISAAC. CASAVBONVS \*\*), IACOB. GOTHOFREDVS \*\*\*), CAROLVS DV FRESNE \*\*\*\*), ACNIC. HIERON. GYNDLINGIVS \*); nullum tamen nominare possumus in-

\*) IO. TILEMANNVS *diff. de successione ascendentium tam in allodialibus; quam feudal.* Rintelii, CXCXCXXXIII. GEORG. BEYERVS *problemate iurid. ascendentium in feudis nullam esse successionem*, Viteberg. CXCXCXIII. quod reperitur eius in *dissertationibus et opusculis*, p. 349. lxx.

\*\*) in *commentar. ad libros tres posterior. codicis*, L. 7. C. *de omni agro deserto*, p. 204.

\*\*) in *comm. ad L. 2 D. de O. l.* p. 741.

\*\*) in *hisor. fori Roman. libr.* II. cap. 10.

\*) *metodo de feudis*, cap. I. §. 6.

\*\*) *not. ad Lamprid. cap. 58.*

\*\*) *ad L. I. cod. Theodof. de*

*terris limitaneis.*

\*\*) in *glossar. med. et infim.*

*latin. voc. feudum.*

\*) in *Gundlingianis*, tom. I. p.

I. lxx.



fitutum, quod cum feudo tuto esset comparandum. Si primum aduertimus oculos ad tempora, in quibus Romanorum respublica imperatoribus erat subiecta, illa nobis exhibent *beneficia*; sine fundos, qui ob bene merita essent ex liberalitate principis ad priuatos profecti, vti NIC. HIERON. GVNDLINGIVS \*) ac GEORG. LVD. BOEHMERVS \*\*) explicant. Consistere illa poterant partim in agris limitaneis; vel limitrophis \*\*\*); partim aliis in fundis \*\*\*\*); eorum natura tamen ita fuit comparata, vt ad quoscunque heredes transire possent \*); illorum domino libere de iis disponere liceret \*\*) et a nouo eorum possessore haud prius possent reuocari; quam si conditionem, sub qua ad primum eorum dominum fuerant translata, in se suscipere atque illi rite satisfacere nollet \*\*\*). Argumentum, quod GVNDLINGIVS \*\*\*\*) EX CASSIODORO \*) ducere voluit, docte diluit GEBAVERVS \*\*) ideoque extra omnem

A 2

\*) *loc. laudat.*

\*\*) in *obserrat. de beneficiis Romanorum*, tom. III. IVST. HENNING. BOEHMERI exercitat. ad *pandectas* praemissa, et a GOITL. AVG. IENICHEN, in *in thesauro iuris feudalis*, tom. I. p. 545. denuo edita. Num apud veteres fundi hi *beneficiorum* nomine sint signati, eruere haud conamur. Vel minimum illud non concludere possumus ex duobus locis, HYGINI nimirum, *libr. de limitibus constituendis*, in *auctoribus rei agrar. GAESII*, p. 192. sq. et DOLABELAE, p. 301. verum tamen ad haec sola recentiores hanc in rem prouocare solent.

\*\*\*)) mentionem eorum faciunt LAMPRIDIVS, *vid. Alexandri feueri*, cap. 58. VOPISCVS, in *vita*

*Probi*, cap. 16. nec non leges, quae in *tit. cod. Theod. de fundis limitaneis* ac in *tit. cod. Iustin. de fundis limitrophis* repetiuntur.

\*\*\*\*)) L. 6. *cod. Theod. de collat. donat.* et L. 6. *cod. Iustin. de fund. patrim.*

\*) L. 5. *cod. Theod. de collat.*\*\*) *leg. citat.*\*\*\*) BOEHMERVS, *loc. laud.*\*\*\*\*)) *loc. laudat.*\*) *libr. XII. form. 5.*

\*\*) de *originibus feudi qua vocem, qua rem non externis; sed germanicis*, cap. 11. §. 11. Prodiit haec commentatio primum Lipsiae, anno rep. saluris, MDCCCXXXII. et dein in tom. I. *thesauri iuris feudalis lenicemiani*, p. 486. est translata.

omnem dubitationem est positum, desiderari in istis beneficiis dominium diuisum, characterem feudorum, ut uolunt, essentialem; quo uero, quaelo, pacto statuere possumus, ad praestandam singularem fidem obligatum fuisse eum, qui eiusmodi beneficio erat adfectus? Silent de ea leges aliaque litterarum, monumenta, ut illustri BOEHMERVS \*) docte animaduertit. Coniungimus cum iis *agros uestigales*, qui mox in perpetuum; mox certum ad tempus ita mancipiis sunt locati, ut iis certa pensio, sub nomine *uestigalis* nota, inhaereret, haecque reipublicae solueretur \*\*). Differabant a feudis non solum in eo, quod qui agrum uestigalem conduxerat, *uestigal*; uasallus autem, fidem praestaret; sed alia adhuc inter utrumque fundum erat distinctio, quum locatione saltem conductione uestigalis ager transferretur eiusque itaque dominus plenum dominium retineret; illud autem cum uasallo diuideret. Quidnam uero quaelo de praediis *stipendiariis*; uel *tributariis* dicamus, de quibus loquitur IUSTINIANVS \*\*\*) ac de quibus scimus, ea in dominio bonitario fuisse possessorum ac esse quadam pensione onerata. In EV. OTTONIS \*\*\*\*) sententiam discedere haud possumus, qui existimat, in minus pleno saltem dominio bonitario fuisse istos fundos; ubi autem id quoque concedere uellemus; eorum tamen possessores multo maiora iura in haec praedia exercuisse; quam uasallos, certum est; neque reliquos feudi characteres in iis inuenimus, licet LUCAS DE PENNA \*), id sibi persuadeat. Haec quum ita se habeant: multo minus in temporibus antiquioribus uestigia feudorum apud Romanos sunt quaerenda. Quamuis uinculum, quod inter patronos aequo

\*) *loc. laudat.*

\*\*\*) L. 3. §. 6. D. de iure fisci et L. 5. C. de locat. 10. GOTTL. HEINECCIUS, *antiquitat. Rom. libr. III. tit. 23. §. 9. p. 130. et P. ETR. EYERMANNVS, de uestigal.*

*populi Romani, p. 128. sqq.*

\*\*\*\*) §. 40. I. de rer. diuis.

\*) *com. et notis criticis instit. loc. citat.*

\*) *comm. ad libr. III. posterior. cod. L. 7. C. de omni agro deserto.*

ac clientes erat, simile esset conjunctioni, quae existit inter dominum directum ac vasallum; nullum tamen adfuit dominium vile, quod ob fidem, a cliente patrono praestandam, concederetur. Nullo itaque modo cum *GVIL. BVDAEO* \*) feuda inter eos existisse, adfirmare possumus, ut bene iam perspexit iuriconsultus Gallus, *ANTON. DADINVS ALTESERRA* \*\*). Neque tuto cum *VDALRICO ZASIO* \*\*\*) comparare possumus cum feudis praedia, veteranis assignata, quorum partim *SVETONIVS* \*\*\*\*); partim *VLPIANVS* \*) et *PAVLVS* \*\*) mentionem faciunt, si consideramus, veteranos solum nominari, quibus praedia haec sunt assignata; nec syllabam quidem adesse in locis, a nobis memoratis, ex qua colligi posset, dominium tantum vile horum fundorum concessum fuisse militibus veteranis. Plura hac de re non proferimus; sed lectores ad *BVRCARD. GOTTH. STRVVIUM* \*\*\*), ac *GEORG. CHRIST. GEBAVERV* \*\*\*\*) ablegamus.

§. III.

QVEMADMODVM ex his factis abunde, ut speramus, patet, feudorum originem a Romanis deriuari haud debere; ita simul iure ac merito statuere possumus, in Germania ea esse inuenta. Acta ageremus, si copiose illud vellemus demonstrare, quum id a doctissimis viris dudum est comprobatum. Perspicimus illud ex *terminis technicis* feudalibus, qui omnes, sine vilo fere discrimine, ex patrio descendunt sermone: ipso nomine *feudi: vasalli: valuasoris* aliisque \*)

A 3

Disci-

\*) *not. ad pandect. p. 741.*

\*\*\*) *de feudis Galbae, cap. 1.*

\*\*\*\*) *epist. feudorum, part. 1. nr. 8.*

\*\*\*\*\*) *vit. Augusti cap. XIII.*

\*) *L. 15. §. 2. D. de rei vindicat.*

\*\*\*) *L. 11. D. de euiction.*

\*\*\*\*) *elem. iur. feudalis, cap. 16.*

\*\*\*\*\*) *loc. laudat.*

\*) prouocamus hanc in rem iterum ad elegantem libellum *GEORG. CHRIST. GEBAV- ERI, diss. de originibus feudi qua rem non externis; sed Germanicis, p. 486. et CAR. FERD. HOME- LII oblectamenta iuris feudalis, obs. I. sqq.*

Discimus eandem rem ex eo, quod nulla provincia existat, in qua diuisio domini, quae in feudis occurrit, ita sit vfitata, vt in Germania. Quot quaeſo cogitare poſſimus praediorum ruſticorum Germanicorum genera? Quamquam emphyteutica illa praedia, quorum etiam in Romano iure mentio fit, ita ſint comparata, vt ruſticis ſint adſinia: inter vtraque tamen differentia ſemper adſuit, quemadmodum etiam nuperrime illuſtris GEORG. HENR. AYRERVS \*) monſtrauit; nonne autem fundi ruſticorum noſtrorum eodem modo dominio minus pleno poſſidentur; quam feuda \*\*)? Tandem illorum veſtigia penes antiquiſſimos Germanorum populos reperimus. Francis feuda haud fuiſſe ignota, teſtes ſunt GREGORIVS TVRONENSIS \*\*\*) , RORICO \*\*\*\*) ac AIMONVS \*) . Eadem ratione ALEMANNI mentionem iam faciunt vaſſorum \*\*). BURGVNDIONES haud obſcure loquuntur de feudis \*\*\*); neque vero minus reliqui Germaniae incolae inſtitutum hoc adprobare videntur \*\*\*\*).

### §. III.

SATIS ſuperque ex his conſtat, ipſa feuda a noſtratribus eſſe inuenta; neque eorum originem tribuendam Romanis; eadem vero ratione certum eſt atque expeditum, feuda iis tem-

\*) *diſſ. de diuerſis iuris emphyteutici et iuris villaſis*, Goetrinae, C1010CCLXVI.

\*\*) Quemadmodum enim illuſtris IO. HENR. CHRIST. DE SELCHOW comparationem inter feuda inſtituit ac praedia ruſtica inuitu ſucceſſionis in *diſſ. de diſſerant. praed. ruſtic. et feudor. quoad ſucceſſ.* Gotting. C1010CCLXV. ita aliis in momentis, inueſtigatur eiusque renouatione ac iuribus

domini directi, ea conuenire, quis negat?

\*\*\*) *libr. II. apud DVCHESNE, tom. I. p. 806.*

\*\*\*\*) *libr. V. cap. 3.*

\*) *libr. I. cap. 14.*

\*\*) *cap. 36. §. 14.*

\*\*\*) *tit. I. §. 3.*

\*\*\*\*) GEBAVER, *de feudorum origine* §. 7. ſqq. tom. I. theſauri iuris feudalis lenicbeniani, p. 482.

temporibus ad heredes transfisse, quibus maioribus nostris leges Romanorum ignotae fuerint; vel minimum ab iis haud receptae. In dubium quidem quisquam vocare hoc se posse, sibi persuaderet, qui perpendit, a Conrado II. \*) constitutionem illam profectam esse, quae liberos ad parentum feudam admisit; neque multum post etiam iura Romana potissimum reducta esse in scholas et fora Italiae; verum successio feudorum ante Conradi aetatem iamiam fuit cognita. Scriptor, qui nomen suum latere voluit, de Rothario quodam episcopo tradit, eum mansum homini cuidam reliquisse, ipsoque mortuo, illum ad filium peruenisse, quasi hereditarium \*\*); eadem autem ratione de Carolo simplici scimus, illum haud passum esse filios feudis priuari paternis \*\*\*). Neque minus THEGANVS \*\*\*\*) de Ludovico pio testatur, illius aetate iam liberos feudorum factos fuisse participes, eique auctores librorum feudorum accedunt \*), qui etiam docent, ante Conradi Salici aetatem iam feuda transfuisse ad liberos. Libentes concedimus, eo tempore circumscriptam fuisse hancce successionem pluribus limitibus; concludere tamen possumus ex supra dictis cum NIC. HIER. GUNDLINGIO \*\*), IO. ADAM. KOPPIO \*\*\*), CAR. FERDINAND. HOMMELIO \*\*\*\*) atque aliis, hac aetate eam haud profus fuisse

\*) Exstat illa in LVDOV. ANTON. MYRATORI *antiquitat. Italiae mediæ aevi*, tom. I. p. 609. FRANC. GVILLIMANVS in eam commentarium scripsit, quem in lucem emisit perill. HENR. CHRIST. SENCKENBERGIUS, *select. iuris et historiar.* tom. III. p. 253. praeterea autem CAR. FERD. HOMMELIVS notis legem illustravit, quae repetitionur eius in *oblectamenti iuris feudalis obs.* VIII. p. 81.

\*\*) *vit. Meinnersci* apud LEIBNITIVM, tom. I. *script. verum Brunsvicens.* p. 526.

\*\*) conferas GUNDLINGIVM, *loc. citat.*

\*\*) de *gestis Ludovici pii*, cap.

XVIII.

\*) I. *feudor.* cap. I.

\*\*) in *Gundlingian.* tom. I. *observat.* I.

\*\*) in *historia iuris*, part. III.

*epoch. II. thes. VI. p. 138.*

\*\*) *loc. laudat.*

fuisse inusitatam. Ac si largiri quoque vellemus, ante Conradi tempora heredes vasallorum successionem in feuda iure potestere haud posse; eam tamen, quam Conradus introduxit, haud tribuere possumus, legibus Romanis. Nonne Lotharius Saxo is fuit, qui primus legum Quiritum auctoritatem restituit? Illas seius ante tempora haud esse receptas, ita in promptu est, ut nulla egeat disputatione; id tamen nemo doctius monstravit; quam HENR. CHRIST. L. B. DE SENCKENBERG \*).

## §. V.

QVID vero quaeso ex his argumentamur? Ex eo, quod nostratibus feuda fuerint cognita; antequam Romanorum legibus sese submisserint; neque a Romanis; sed a Germanis sint inuenta; praeterea autem successio ab illis sit introducta, antequam iura modo laudata penes Germanos floruerint, nihil aliud colligimus; quam quod non solum in successione feudali, generatim spectata; verum etiam in ea, quae adscendentibus tribuitur, maiores nostri non potuerint sequi praecepta iuris Romani; sed hac in re principia iuris Germanici locum habere debuerint. Satis superque itaque perspeximus causam, cur principia haec reperiantur ista in hereditate: iam paulo curatius ea ponderamus, quumque ea duplici modo deprehendimus, dum I.) ante omnia ordinarie parentes a hereditate hac sunt exclusi; neque prius eam petere queant; quam si ipsis hac in re pacto sit prospectum; ubi autem II.) ad successionem accedunt, soli succedunt; neque simul proximos a latere iunctos admittunt, vtrumque paulo intentius inuestigare volumus.

## §. VI.

\*) in den Gedanken von dem lebhaften Gebrauch des vralten deutschen burgerlichen und Staatsrechts, cap. 11. §. 8. sqq. et metodo iurispudentiae, adpend. 111. sect. 119 p. 112.

## §. VI.

SI rem paullo altius repetere licet, vt a priori principio iuris Germanici, in successione feudali adscendentium seruato, ordiamur, longe ille falleretur, qui sibi persuaderet, maiores nostros adscendentes ad successionem, omni discrimine remoto, admisisse. Quum turbari mortalitatis ordinem, bene perspicere maiores ab antiquissimis abhinc annis, vbi liberi viuus eximerentur ante parentes: olim illos a luctuosa liberorum hereditate arcere haud dubitarunt si non omnes; plerique tamen Germaniae incolae. Euidentiſſimum hac de re nobis praebet testimonium TACITVS \*), quum de successione, quae apud Germanos obtinet, loquitur: proximos, ad quos hereditas peruenire potest, nominatim recenset et tamen consulto parentes ita omittit: *heredes tamen, inquit, sui cuique liberi, nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in successione, fratres, patru, auunculi.* Persuadet quidem sibi optimus iuris Germanici interpres, videlicet IO. GOTTLIEB. HEINECCIUS \*\*), per id scriptorem hunc Romanum parentes a liberorum hereditate exclusos haud voluisse et, vt corroboret sententiam suam, ad tria argumenta prouocat, quorum vnum ex eo, quod patruos nihilominus atque auunculos ad hereditatem, ipso teste, vocauerint Germani; alterum ex gradibus, quorum maiores rationem habuisse scribit ac tertium ex legibus Germanorum, media aetate latis, ducit; sed omnia haec tanti ponderis haud sunt, vt TACITVM parentibus Germanis hereditatem denegare noluisse, statuamus. Quum auunculos ac patruos quidem; minime autem parentes nominat, sine causa illos fuisse praeteritos, existimare non possumus. Neque perspicimus, vti ingenue fatemur, parentes iure posse

B

tuisse

\*) de moribus Germanor. cap. II. tit. VIII. §. 216. tom. I. p. 127. ed. DITHMARI. P. 527.

\*\*) element. iuris Germanici, libr.

tuisse petere liberorum hereditatem, si licitum id fuerit patris; vel avunculis. Gradus quidem meminit scriptor; illum tamen ita definit, ut eos saltem admittat, qui in possessione sunt gradu proximi, quemadmodum ita legenda haec verba esse, bene iam est monitum \*). Tandem non satis miramur, quid sit, quod summus vir existimet, media aetate nullum Germaniae populum fuisse, qui non denegaret filii sine prole extincti bona parenti, quum ipsum sequentibus paginis aliam sententiam amplecti oportet. Haec quum ita sese habeant, multo maiori iure cum FRID. ESAI. PVFENDORFIO \*\*) aequae ac GEORG. CHRIST. GEBAUERO \*\*\*) facimus, TACITIQUE aetate parentes expertes fuisse, hereditatis liberorum, statuamus.

§. VII.

NEQUE vero solum haec consuetudo obtinuit TACITI aetate; verum etiam postea dudum est conservata. Illam omnibus Germanis haud placuisse, docet exemplum Saliarum \*\*\*\*) ac Ripuariorum \*), quum hi populi uti aliis in moribus; ita quoque in eo convenirent, quod patri pariter ac matri defuncti hereditatem tribuerent. Libentes id fatemur; neque tamen statim ex ea re argumentamur, idem penes alios Germaniae populos locum habuisse. Licet Burgundionum leges in Gallia essent conditae, atque in ea Romanum ius vigeret, ex quo multa in eas irrepserint; verba tamen memoratu digna

\*) conspirant nobiscum, FICHERIVS, ERNESTI, LIPSIVS atque alii, qui ex optimis codicibus libellum TACITI ediderunt, quod contra DITHMARVM, HERTIVM, de veteribus German. popul. cap. 3. §. 16. atque alios est animadvertendum. Confer IO. CHR. HENR. DREYERVM in der Sammlung vermischter Abhandlungen tom. I. p.

104. atque ea, quae PRAESES in dem Naberrecht, p. 16. prouulit.

\*\*) observat. iuris vniuersi, tom. 1. appendix, p. 153.

\*\*\*) diss. de successione penes Germanos, p. 40.

\*\*\*\*) tit. LXII. §. I. p. 106. ed. ECCARDI.

\*) tit. LVI. §. I. p. 221. ed. ECCARDI.



digna in iis legimus \*): *si forte defunctus nec filium; nec filium reliquerit, ad sorores; vel propinquos parentes hereditas redeat.* Neque Saxones \*\*) parentibus successionem tribuerunt; praeterea autem iis in prouinciis, quibus a laribus paternis liberi ita se separare consueuerunt, vt bona possiderent propria atque opponerentur liberis non separatis, a successione parentes exclusos fuisse, negari nequit. Quemadmodum in iure Lubecensi clare hoc est ordinatum idque sequentibus verbis: *Seynd Kinder von ibrer Eltern abgefondert und der eines ohne Leibserben verfürbe, das wererbt sein nachgelassen Gut auf seine mit abgefonderte Brüder vnd Schwestern: wo aber derselben keine vorhanden, alsdann auf die unabgefonderten. Wäre aber kein abgefondertes; oder unabgefondertes Kind; oder derselben Leibserben mehr im Leben, so fället das Gut auf die Eltern \*\*\*);* ita quoque cum eo aliae conueniunt leges. Susatenfes, qui se Lubecensibus primum iura dedisse, merito gloriari possunt, hac in re ab iis alieni esse nequeunt ideoque in legibus suis sequentia praecipiunt \*\*\*\*): *im gleichen erben die separirte und abgefundene Kinder, eins das andere und concurrirt der Ehegatte, so ob secunda vota geschritten, es sey*

B 2

Va

\*) tit. XIII. §. 2. P. PETR. GERGISCHE corp. iur. Germ. p. 330.

\*\*) tit. VII. §. 2. p. 74. ed. CAR. GUIL. GAERTNERI.

\*\*) lib. II. tit. II. ant. 7. Vestigia huius sanctionis iamam reperiimus in codice iuris Lubecensis ann. 1300. patrio sermone confcripto et ab ERN. IOACH. DE WESTPHALEN, tom. III. monumentorum ineditorum rerum Germanicarum, p. 638. edito, art. XII. frustra tamen illa quaerimus in codicibus illis latinis, quorum vnum modo laudatus DE WESTPHALEN

loc. laudat. p. 620. alterum autem IO. CAR. HENR. DREYERVS, in denen vermischten Abhandlungen, tom. I. p. 445. in publicam lucem emisit. Litteras, quibus Christianus IV. Danorum rex sanctionem hanc Lubecensium, in quibusdam ciuitatibus, imperio eius subiectis, receptam confirmauit, legimus in WESTPHALEN monument. ineditor. rerum Germanicarum, tom. III. p. 3267.

\*\*\*\*) apud EMMINGHAUSIVM, memorabil. rerum Susatensum, p. 251.

Vater; oder Mutter, nicht bey der Theilung. Idem iubent Mindeneses \*). Volle Brüder und volle Schwestern, wann die von ihren väter- und mütterlichen Gütern abgefondert und diffortiret seyn nehmen vor ihren Eltern, davon sie abgesehen seyn, ihres abgefonderten; oder Bruders-Schwesters Erbe, ac Osnabrugeneses \*\*). Soz we Ebelude tosamende verbilliket vn der eyne off beyde vorben Kinder hadden, wilken er Affscheid gelauet oder gegeben were, vnd der süßwigen Ebelude eyne, sohne Vorkindere in Leuende hadde, cet. Conueniunt cum iisdem consuetudines Bordschholmienles \*\*\*). Oft auch ein Kind stirbe, daß mit den Eltern in Saamenden Gütern geseßen, so stirbet sein Guth wieder in das saamende. Ist aber das Kind ausgesteuert und es stirbet ohne Erben fallen die Güther an die Schwester und Brüder, da söß selbige vorhanden und haben die Eltern damit nichts zu schaffen; nec non Hamburgensia statuta \*\*\*\*). Wenn Kinder nach Absterben ihres Vaters; oder Mutter von väterl. und mütterlichen Güthern gänzlich abgetheilet werden und dann eins von den Kindern verstorbet: so fellet die Erbschaft nicht auf seinen Vater; oder Mutter sondern seine vollbürtige Brüder und Schwestern. Vetus est Hamburgensium statutum, quod haec verba complectuntur, quumque illud iam in antiquioribus codicibus iuris, in hac celeberrima ciuitate publicatis atque inprimis in eo, qui seculo decimo et quinto iuris publici est factus, ita traditur \*): Störve darnach der Kinder iennig, dat edder des Gut selbolde fallen up syne

\*) lib. II. tit. II. art. 8.

\*\*) apud LODTMANNVM monument. Osnabrug. p. 142.

\*\*\*) Neumünsterische Kirchspielsgebräuche, art. 11. in V. C. DRIFYERI vermischten Abhandlungen, tom. II. p. 1064.

\*\*\*\*) part. III. tit. III. art. 2.

\*) iur. Hamburgens. de ann. 1492. tit. I. §. 21. in NETTELLA thesaur. iuris prouincialis et stat. Germaniae, tom. I. p. 682. Eadem fere leguntur in codice paullo antiquiori, apud WESTPHALEN, tom. IV. monumentor. medietorum rerum Germanicar. p. 2096.

hine Suftere unde Brödere, de ungescheden syn: Waren averst de Kinder geschichtet unde gescheden under sich, so sehall idt erven up den Vater effte up dee Moder de de na Da. de des Olderen, dar de Kindere van sindt, bliff abne Gaden unuerändert betb ant Ende hynes Levendes, anders sehall sulck Guth erven von dem eenen Kinde up dat andere: nemini mirum erit, quid sit, quod eadem sanctio placuerit ante plura secula iamiam Stadenfibus \*) aequae ac Rigensibus \*\*) quum vtrique omnia fere in leges suas transtulerint, quae lata sunt a Hamburgensibus \*\*\*). Eadem ratione conspirant cum iis statuta Luneburgensia \*\*\*\*) atque alia; vbi autem ea paulo intentius considerare volumus, illa dictis nostris fidem facere, clare videmus, quamuis haud infitari possumus discrepantiam, quae inter ea reperitur. Quaedam generatim parentes excludunt; alia autem iis saltem fratres praefereudos esse ita statuunt, vt communionis bonorum nonnulla rationem habeant et saltem fratres parentibus praefereant, si inter separatos liberos bona haud sint diuisa et ea ab liberis coniunctim possideantur; aliorum autem iurium auctores supersedeant hac distinctione. Quae quamuis ita sese habeant: omnia haec, quae tradidimus, abunde docent, secundum principia plerorumque saltem nostrorum maiorum parentibus hereditatem haud prius tribuendam fuisse; quam si liberi, vbi decederent, ea in societate domestica essent, in qua ab initio fuerant: bona liberorum, ipsis adhuc viuus parentibus essent communia: nihil liberi, quod ipsorum esset proprium, possiderent, ideoque illud parentes, tanquam domini caperent; soluta autem ante societate omnes parentibus praecederent, quibus-

B 3

cum

\*) *statut. Staden. part. v. art. 11.*  
 apud PVENDORFIVM, tom. 1.  
*observat. iuris uniuers.* p. 81. Paulo  
 aliter exhibet hunc locum NIC.  
 ANTON. HENRIC. IVL. DE  
 GROTHAVS, *statut. Stadenfibus.* p. 55.

\*\*) *statut. Rigens. art. XXXVII.*  
 apud PVENDORFIVM, *observat.*  
*iuris uniu.* tom. III. p. 230.

\*\*\*) Videas modo laudat. PVENDORFIVM, *loc. memor.*

\*\*\*\*) *statut. Luneburg. part. v. tit. 15.*

cum coniunctim bona possiderent. Lectores hanc in rem ablegamus ad DAV. MEVIUM \*), IO. GOTTL. DE HACKELMANN \*\*), HENR. BROCKES \*\*\*), ac IO. GVIL. STEINIVM \*\*\*\*).

## §. VIII.

NEQUE in his acquiescimus; sed alia adhuc proferimus argumenta, ex quibus constat, exclusos quondam fuisse parentes a liberorum hereditate; vel minimum eorum successionem arctissimis limitibus circumscriptam. Nonne secundum ius Auftriacum exclusi sunt parentes a luctuosa liberorum hereditate? Licet hac de re taceat vetus illud ius Auftriacum, cuius editionem debemus IO. PETR. DE LVDEWIG \*) ac CHRIST. HENR. L. B. DE SENCKENBERG \*\*); Iocupletissimus tamen testis est BENEDICTVS FINSTERWALDERVS \*\*\*), ipsius adhuc aetate nondum potuisse peruenire hereditatem liberorum ad parentes. Adest quoque pro nobis, quod nostram sententiam belle confirmat. Kedingensibus \*\*\*\*) illud debemus, qui id suis in legibus conseruarunt: *Es stirbet kein Gubt zurück; sondern vorwärts.* Significare voluisse maiores nostros hisce verbis, parentibus haud competere ius succedendi in bona liberorum, nemo negabit. Clare id auctor iuris memorati docet, quum ait: *Hier saget das alte Kedingen Landrecht: Es stirbet — darum, wenn Kindere; oder Kindeskindere verstorben und ihr Vater und Mutter in Leben wäven, haben dieselben ihren Nach-*

\*) commentar. in ius Lubecense, lib. 11. tit. 11. art. 7. sqq. p. 330.

\*\*) de iure liberorum separatorum Francof. MDCCCX.

\*\*\*) select. obseruat. forens. argum. CCCLIII. p. 404.

\*\*\*\*) gründl. Abhandl. des Lübschen Rechts, lib. 11. tit. 11. §. 241.

\*) reliqu. manuscriptor. tom. IV. p. I.

\*\*) vifion. diuers. de collect. leg. p. 213.

\*) obs. practic. lib. 11. obs. 119.

\*\*\*\*) Kedingen Landrecht, tit. XVI. §. I. in PVFENDORFII, obseruat. iuris vniuersi, tom. I. p. 153.

Nachlas nicht erben können, sondern ist in linea collateralis, in der Seitenlinie auf die nächsten Blutstrende vererbt. Solcher Gebrauch ist ebenmäßig abgeschafft und einbellig bewilliget, daß nach beschriebenen kayserslichen Recht verfahren werden solle, ideoque eo maiorem attentionem hocce proverbium mereri videtur\*); praeterea autem tandem ad rustica praedia prouocare possumus, vbi adfirmamus, denegasse maiores nostros parentibus liberorum hereditatem. Eiusmodi praedia colonaria ad parentes per hereditatem haud peruenire, si a liberis eorum reliquantur, negari nequit, vti doctè animaduertunt FRID. GARSTENS \*\*) et IO. HENR. CHRIST. DE SELCHOW \*\*\*); nonne autem in successione colonaria sequuti sunt omni tempore nostrates patrii iuris principia?

§. VIII.

QVAMVIS limites, quibus parentum hereditas quondam fuit restricta, prorsus fere sublatis sint, iure Romano introducto; eorum tamen vestigia, facili negotio in feudis reperiuntur, quum in iis parentibus successionem haud prius concedunt Germani; quam si ipsis hac in re speciali prospectum sit pacto ideoque semper sit distinguendum, vbi liberi sine prole decedant; parentes autem, contra mortalitatis ordinem, relinquuntur, num pactum adsit speciale, quo parentes ius succedendi sibi adquisuerunt; nec ne?

§. X.

\*) Aliud quidem proverbium, huic contrarium, exhibet IO. FRID. EISENHARTVS, in denen Grundsätzen der deutschen Rechte in Sprichwörtern, sect. III. §. 3. p. 256. Das Kind fällt wieder in der Mutter Schoos; admodum tamen probabile

est, illud, recepto iam iure Romano esse inuentum.

\*\*) de successione villiali in duatu Lüneburgico, cap. IIII. §. 156 p. 120.

\*\*\* de differentiis praediorum rusticorum et feudorum praesertim quoad successionem, §. XIII. p. 45.

## §. X.

QUVM ab antiquissimis temporibus Germani conventiones fouerent, quibus hereditas ab vno in alterum transferretur\*), iisque iuris, alteri, cui talis hereditas promissa est, eiusmodi in ea, viuo eius possessore, condominium tribuere haud dubitarent, vt illum omnibus praeferrerent in successione, vt constat ex ipso parentum exemplo, dum eos liberis nondum separatis pariter ac aliis, quibuscum ipsis bona sunt communia postponerent: praeterea autem condominium vnicum esset ac verum fundamentum successionis feudalis\*\*), nemo mirabitur, quid sit, quod statuamus, hereditatem feudalem parentibus semper esse relinquendam, si ad pactum speciale prouocare ipsis liceat, quo iuris succedendi sunt facti participes. Eiusmodi conventionem deprehendimus ante omnia in feudis hereditariis. Quum sub feudo hereditario feudum intelligimus, in quo successio locum habet ciuilibis et, prout illa limitibus quibusdam est determinata; vel non circumscripta, memoratum feudum in merum diuidimus ac mixtum\*\*\*): non possumus; quin cum LVD. MENCKENIO\*\*\*\*), GEORG. BEYERO\*), BVRC. GOTTH. STRVVIO\*\*), CASP. HENR.

\*) THEOD. GEORG. CVIL, EMMINGHAUS de eo, quod iustum est circa conventionales hereditarium translationes, Ienae, MDCCCLVIII.

\*\*) illud potissimum monstrare studuit auctor deductionis: die Gemeinschaft als ein wahrer Grund, der Erbfolge und der einzige Grund der Lebensfolge derer Seitenverwandten, MDCCCLV.

\*\*\*) copiosius naturam horum feudorum explicant: HENR. BALTHAS. ROTHIVS, dissert. de

feudo hereditario, Ienae, MDCCCLXXXVIII. MARTIN. LAMBERTVS diss. de spuris ac genuinis feudis hereditariis notis, Gieslæ, MDCCXX.

\*\*\*\*) diss. de simultanea investitura ascendentibus ad success. feudalem apud Saxones necessaria, §. 15.

\*) diss. de problemate iuridico, ascendens in feudis nullam esse successionem, §. 18. p. 358.

\*\*) element. iuris feudalis, cap. VIII. §. 226. p. 224.

HENR. HORNIO \*), ac GEORG. LVDOV. BOEHMERO \*\*) in *meris hereditariis* feudis adscendentes succedere existimus, quum ea est natura successionis civilis, vt ad illam deficientibus liberis, vocentur parentes. Licet vel minimum antiquiore aetate parentes hereditatis liberorum fuerint expertes; iure civili tamen, vti omnibus constat, parentes illius sunt capaces; huius autem rationem potissimum in his feudis haberi, ex ipsorum patet notione et ab aliis iam docte est demonstratum. Eadem ratione de feudis *hereditariis mixtis*, vbi parentibus videlicet successio est promissa, statuire haud dubitamus \*\*), illa ad parentes peruenire; nonne vero vtroque in casu pactum reperitur, cui potissimum tribuere debeant hereditatem parentes, si qua ipsis competat? Recenset quidem MARTINVS LAMBERTVS \*\*\*\*) plures modos, quibus feuda constituuntur hereditaria et praeter partium conuentionem ad illos priuilegium, legem, statutum ac consuetudinem; vel, quod idem est, omnes refert legis species; quemlibet tamen, velit nolit, fateri oportet, vel minimum pactum simul tacitum adesse, quod dominus directus cum vasallo ineat quoque adscendentibus quoque successio relinquatur.

## §. XI.

NEQVE vero reliqua feuda, quae non sunt hereditaria, ita sunt comparata, vt in iis parentibus, vbi eorum liberi illa relinquunt, sine vilo discrimine denegare audeamus; fateri tamen nos oportet, etiam in iis haud prius succedere parentes; quam si pactum adfit, quo illis hac in re sit prospectum. Diuidere possumus ea merito in *antiqua* et *noua*, prout ea defun-

\*) *iurisprud. feudali, cap. xvi.*  
§. 111. p. 328.

\*\*) *element. iuris feudalis, lib. 1.*  
*sect. 1. cap. 8. §. 146.*

\*\*\*\*) *loc. laudat.*

defunctus possessor a maioribus per hereditatem accepit; vel sibi denuo adquisiuit; sed vtraque talem conventionem requirunt, si ad parentes, defunctis liberis, sunt deferenda.

## §. XII.

CONSTAT inter omnes, *feudum nouum* patri vasalli haud posse denegari, si dominus directus viuo filio, condonium tacitum feudi ipsi tradiderit ope *inuestiturae*. Claris verbis hoc significant auctores librorum feudorum \*): *quoddam vsui traditum, recordationis caussa in scriptis ponere procurauit. Si quis igitur habens filium, ipsum per dominum inuestire fecerit; nisi nominatim cum domino pactus fuerit, ut si filius deceaserit ante patrem, quod feudum ad patrem reuertatur, dicitur defuncto ante patrem filio, patrem carere beneficio et domino adquiri beneficium.* Videmus quoque illud ex eo, quod simultanee inuestito successio nunquam fit deneganda ideoque etiam recentiores iurisconsulti vna mente ac voce id tradunt \*\*); vbi autem hoc modo pater particeps factus est hereditatis feudalis, pacto illud tributum est, quod cum domino directo initur. Adest illud non solum, vbi simultanea inuestitura ab arbitrio domini directi dependet; sed etiam iis in prouinciis, in quibus ordinarie dominus inuestituram simultaneam iis, qui hanc in rem a vasallo sunt nominati, tribuit, quum semper pactum comprehenditur sub inuestitura atque etiam illud est pactum, ad quod in eundem leges; vel aliud promissum me adstringunt. Eadem ratio-

\*) 2. feud. 84.

\*\*) PETR. A ROSENTHAL, *tractat. et synopsis iuris feudalis*, cap. 7. p. 296. VALENT. FORTIERVS, *de success. feud. cap. 4.* FRANC. DVARENVS, *de feud. cap.*II. LVDOLPH. SCHRADERVR, *tractat. feudalis. part. VII. cap. 5.* P. IUL. GEORG. AD. STRUVIUS, *systemat. iuris feudalis. p. 300.* GEORG. BEYERVS, *loc. laudat. cum aliis.*



ratione feudum ad patrem deferri statuunt iurisconfulti, si illud quidem filio; ob patris tamen merita est concessum; sed hanc solam ob causam ei successionem tribuere haud audeamus. Nos non fugit, iurisconfultos GEORG. AD. STRVIVM\*), LVDOLPH. SCHRADERVM\*\*), CASP. HENR. HORNIVM\*\*\*), illud existimare; verum tamen SAM. STRYCKIVS\*\*\*\*) iam haesitavit atque putavit, ab arbitrio domini dependere, vtrum admittere velit patrem in feudo; an ab eo illum arcere. Si illud positum est in domini arbitrio, pater habet haud ius perfectum, id postulandi ideoque multo minus successionem. Eo accedit, quod aliud praesidium huius sententiae fautores haud habeant; quam argumentum, quod ex iure civili ducunt; neque perpendant, a peculio profectio consequentiam haud valere ad feudum. Quumque tandem vel minimum inuestitura simultanea opus esset, vti recte monet GEORG. BEYERVS\*) hacque facta pater, vbi succedat, illi tantum, neque suis meritis adscribere id deberet, merito hunc casum silentio praeterimus.

## §. XIII.

QVEMADMODVM in eiusmodi feudis nouis pater ius succedendi pacto sibi acquirit; ita nonnunquam eius quoque particeps fit in feudis antiquis. Negare illud haud conamur; nihilominus tamen prius id haud esse concedendum; quam si pacto hac in re patri sit prospectum, clare perspicimus, si ad duplicem casum oculos aduertimus, quo iurisconfulti patrem feudum antiquum descendens hereditatis iure capere posse, adfirmant GEORG. AD. STRVIVS\*\*), LVDOLPH. SCHRADERVM\*\*).

C 2

SCHRA-

\*) loc. laudat.

\*\*) tractat. feud. part. VII. cap. 5.

\*\*\*) iurisprud. feudali, cap. XVI. §. 1111. p. 328.

\*\*\*\*) de success. ab intestat. diff. cap. 11. §. 4.

\*) probl. ascendem. nullam esse successionem, §. 25.

\*\*) syntagm. iuris feudali, cap. 9. p. 301.

SCHRADERVS \*), PETER. ROSENTHALIVS \*\*), IO. SCHIL-  
 TERVS \*\*\*), CASP. HENR. HORNIVS \*\*\*\*), atque alii. Quod  
 ad priorem adinet, qui locum habet, vbi pater, defun-  
 cto auo, feudo filii in fauorem renunciauit; nepos autem iam,  
 superflite patre, viuus est exemptus, non possumus in sententiam  
 discedere eorum, qui omni discrimine remoto, patrem sem-  
 per succedere credunt. Persuasum quidem hoc habent cum  
 SCHRADERO \*), GEORG. ADAM. STRVVIUS \*\*), CASP.  
 HENR. HORNIVS \*\*\*), ac GEORG. LVDOV. BOEHMERVS \*\*\*\*):  
 immo SCHRADERVS vsque eo procedit, vt feudo quoque  
 a patre filio vendito hocque mortuo, patri illud vindicare  
 haud dubitet: verum PETR. A ROSENTHAL \*) et BVRC.  
 GOTTH. STRVVIUS \*\*), recte distinguunt, vtrum reserua-  
 uerit sibi pater ius succedendi in refutatione, filio facta; an  
 id sibi haud reseruauerit et solum, si prius accidat atque rite  
 id probetur, patrem filio succedere posse existimant. Quum  
 pater ad refutandum feudum cogi nequit eandemque ob caus-  
 sam illud eius ab arbitrio dependere, iure statui potest, sine du-  
 bio ita ei licitum est feudum refutare, vt facultatem sibi stipu-  
 letur, feudum capiendi, si decedat filius. Non possumus itaque  
 facere cum GEORG. BEYERO \*\*) et etiam eo in casu successio-  
 nem patri denegare; sed merito hac in re eam patri cum mo-  
 do laudatis viris vindicamus; eadem autem ratione patrem  
 a successione arcemus, vbi stipulatio ista non sit facta. Sa-  
 tis memorabile est effectum eorum, qui Longobardica iura  
 feudorum collegerunt \*\*\*\*): *si quis habens filium ipsum*  
*per-*

\*) loc. laud.

\*\*) loc. memorat.

\*\*\*) *diff. de natura success. feuda-*  
*lis, cap. 11. §. 10.*\*\*\*\*\*) *inrisprud. feudali, cap. 271.*  
*§. 14. p. 328.*

\*) loc. memorat.

\*\*) loc. excitat.

\*\*\*) *inrisprud. feud. cap. 16. p. 328.*\*\*\*\*\*) *princip. iuris feud. lib. 1.*  
*sect. 1. cap. 8. §. 46. p. 95.*

\*) loc. memorat.

\*\*) *element. iuris feud. cap. 9.*  
*§. 224.*

\*\*\*) loc. laudat.

\*\*\*\*\*) *2. feud. cap. 80.*

perdominum inuestire fecerit; nisi nominatim cum domino pactus fuerit, dicitur defuncto ante filio patrem careere beneficio, quum his verbis clare de refutatione feudi disputant et ea facta patrem a successione excludunt. Licet ea inter capitula extraordinaria referantur; omnem tamen merentur attentionem. Conspirat cum eo prorsus ius feudale Alemannicum \*): *Git ein Man gut sine Herven uff vnd bittet es sine sine liben, das heist nit erbeleben, wenn das den Man anesirbet. Wer ein erbeleben vffgit vnd es anderwerbe entpfoht, dernoeh heist es nit erbeleben me.* Neque ei alia legum feudallium loca obstant, ex quibus contrarium posset concludi Prouocant quidem iurisconsulti ad tria loca; sed nullus eorum nostrae sententiae repugnat. Ex eo \*\*), quo feudum liberis concessum paternum manere statuitur, nihil contra sententiam nostram colligi potest: Maiorem attentionem mereri videtur alter locus, quum in illo haec legimus \*\*\*): *tres erant agnati; vel plures. Vnus eorum habebat feudum, quod erat paternum; sed alter eorum sinem et refutationem ei suisque heredibus cui ipse dederit fecit: decessit iste sine filio masculo. Alter, qui non refutauit, vindicat sibi totum; alter vero, qui refutationem fecit, vult ad successionem venire, pacto non obstante. Sapientes quidam Medionarenenses interrogati responderunt, non ob stare illud pactum; nisi feudum omnino refutauerit; vel nisi ad hoc refutauerit, ut dominus eum, quasi de nouo beneficio inuestiret; verum tamen conspirare iurisconsultum nobiscum, statim perspicimus, vbi ponderamus, distinguere cum hoc loco refutationem plenam a minus plena et solum de hac adserere, illam ius succedendi refutantis haud impedire; nonne autem ea est refutatio, qua simul pacto refutans ius successionis sibi est stipulatus? Tertius locus, ad quem alterius sententiae fautores prouocant, nullo modo ipsis fauet \*\*\*\*).*

C 3

§. XIII.

\*) iur. feudale Alemannico, cap. 70.  
in corp. iur. feudalli SENKENBERG-  
611, p. 64.

\*\*) 2. feud. 14.

\*\*\*) 2. feud. 26.

\*\*\*\*) 2. feud. 49.

## §. XIII.

QVVM patri omnibus in hisce hereditibus feudalibus ius succedendi propter pactum, quo hac in re ipsi est prospectum, denegare haud possumus; iure meritoque tamen eum ab omnibus iis feudis a liberis relictis excludimus, in quibus pactum non adest, quod ipsi esse possit utile. Leges, quae quondam de feudis sunt latae, locupletissimi huius rei sunt testes. Quemadmodum a Longobardis, qui, uti satis constat, mores Germanorum sancte servabant, licet sedem suam mutauerint eamque in Italiam transtulerint, sine ulla distinctione parentibus successio feudalis denegabatur: *successionis feudalis est natura, quod ascendentes non succedunt, verbi gratia pater filio; inferius vero filius patri succedit\**, ita quoque idem stantebant Germani. Memoratu profecto dignum est, quod CARDINALIS HOSTIENSIS tradit: *de consuetudine imperii non succedit; nisi filius descendat. Immo reuertitur feudum ad imperatorem, et ipse confert, cui vult\*\**. Saxones de parentibus nihil sanciant; sed illas potius sequenti modo a hereditate excludunt feudali: *Der Vater erbet vffen Son die Gebre des Gutes mit sament deme Gute, darumbbe en darf der Sun nicht daz man ihm des Vaters Gut bewise. Welch Man aber des Sunnes darbet, der erbet vffe den Herren die Gewehr dez Gutes ex en se, daz der Herre das Gedinge daran verligen habe\*\*\**. Alio loco idem confirmant: *Ez en erbet neman nicht ein Leben wenn der Vater usse den Sohn\*\*\*\**; eadem autem verba deprehendimus in iure feudali Alemannico \*); neque aliud

\*) 2. feud. 30.

\*\*) ad tit. x. de feudis.

\*\*\*) iur. feud. Saxonicis, cap. 6.

\*\*\*\*) in SENCKENBERGII corp. iur. feud. p. 181.

\*) iur. feud. Sax. cap. 21. p.

186.

\*\*) iur. feud. Alemann. cap.

44. in SENCKENBERGII corp. iur. feud. p. 46.

aliud statuit vetus scriptor, de beneficiis \*), vbi pater, inquit, hereditat in filium possessionem, sicut et beneficium, propter quod non eget filius, vt demandari bona patris sibi faciat a domino: sic et domo carens filio, hereditat in dominum possessionem beneficii, sicut et beneficium, nisi dominus concesserit alicui expectationem beneficii.

## §. XV.

QVVM clare atque euidenter omnia haec comprobant, exclusos esse parentes, sine discrimine a hereditate feudi, si illam sibi pacto acquirere haud studuerint: haud distinguimus, vtrum sint feuda ecclesiastica; an secularia, quae filius reliquerit. Tradunt hoc praeter iuris interpretes paulo antiquiores LVDOLPHVS SCHRADERVS\*\*), HENR. COCCII\*\*\*) AC IVST. HENN. BOEHMERVS\*\*\*\*); neque eorum in sententiam discedere dubitamus. Nos non fugit prouerbium satis vulgatum: *Krumm hab schleust niemand aus*\*) quod patri hac in re fauere videtur; neque ignoramus, ex sententia optimorum iurisconsultorum feuda ecclesiastica ordinare pro impropriis esse habenda, propterea quod pleraque illorum oblata sunt et qui illa obtulerunt, meliores conditiones ex ordine sibi sunt stipulati\*\*); verum tamen haec eo haud valent, vt deflectamus a sententia supra laudata.

Du-

\*) auct. vet. de beneficiis, cap. 1. §. 24. in SENCKENBERGII corp. iur. feudal. p. 161.

\*\*) tractat. feudal. tom. 1. part. VII. cap. 6. p. 173.

\*\*\*) de feud. fuldens. cap. 11. §. II. et 12.

\*\*\*\*) de feudis ecclesiasticis, cap. 1v. §. 12. Reperitur haec commentatio partim in BENICII thes. iur. feud. tom. II. p. 302. partim eius exercitation. ad pandectas, tom. II. p. 517.

\*) prouocamus hanc in rem breuitatis causa saltem ad satis no-

tum libellum WERNERI THVM-  
MERMVTHII: *Krumm  
hab schleust niemand aus*, quem  
RESSIVS denuo in lucem emi-  
sit Lipsiae, MDCCCXVIII. quo-  
cum tamen scripta coniungere de-  
bemus, quibus THVMERMV-  
THII sententia est impugnata.

\*\*) IO. FRID. HERTIVS, in  
paroem. iuris, libr. II. paroem. 20.  
IO. SCHILTERVS, in rubric. iur.  
is feud. Alemann. §. 15. et  
BOEHMERVS, de feudis ecclesiast.  
cap. 1. §. 10.

Dudum est monitum, prouerbum supra recitatum ita haud esse interpretandum, vt, secundum illud feuda omnes ad heredes ciuiles, sine capaces sint feudi; sine eius ordinarie expertes, statueremus \*). Licet dein praesumptionem haud negare velimus, feuda ecclesiastica esse feuda impropria; illa tamen aliorum feudorum naturam haud respuere, ex eo videmus, quod etiam ecclesiastica in subsidium ex iure Longobardico sint diiudicanda, quemadmodum LVD. SCHRADERVS \*\*) ac IVST. HENNIG. BOEHMERVS \*\*\*) recte monent.

## §. XVI.

EADEM ratione haud distinguimus inter feuda noua ac antiqua. Quodnam feudum sit *nouum*, quod *antiquum*, ita in promptu est, vt nulla egeat disputatione. Quum noua solum concedi solent, si non aliter conueniat, vasallo ipsiusque heredibus descenditibus, nemini mirum erit, quid sit, quod ab eorum hereditate arcere soleant Germani parentes nostros; neque vero aliud statuendum est de feudo antiquo. Concludimus illud ex supra recitatis testimoniis tam late generatimque formati; neque cum PETRO DE ROSENTHAL \*\*\*\*), CASP. HENR. HORNIO \*) ac ERNEST. IO. FRID. MANTZELIO \*\*) statuimus, antiqua feuda hac in re esse excipienda. Libentes concedimus, patrem defuncti vasalli etiam referendum esse inter descendentes primi acquirentis, et transire feudum antiquum ordinarie ad eos, qui a primo acquirente descendunt; verumtamen liberi parentibus viuis in feudo paterno praeferri nequeunt; nisi hi hac in re iuri suo renunciauerint; facta autem renuntiatione,

\*) BOEHMERVS loc. laudat.

\*\*) de feudis, part. 1. quaest. 2.

\*\*\*) loc. excitat.

\*\*\*\*) tract. feud. cap. vii. §. 14.

\*) iurisprud. feud. cap. xvi. p. 327.

\*\*) de different. feudi noui et antiqui, §. 24. tom. 1. thes. iur. feud. IENICHII, p. 1054.

tionem, vti supra docuimus, feudum mortuo filio aliter recuperare haud possunt; quam si pacto speciali facultatem, illud repetendi, sibi sunt stipulati. Persuadet sibi MANZELIVS \*), ideo parentes vocari posse ad successionem in feudo antiquo, propterea quod ordinis gradus, qui contineatur in legibus, rationem habendam esse, tradit OBERTVS \*\*); quis vero non videt, illud locum saltim habere iis de agnatis, qui feudi alioquin sunt capaces?

§. XVII.

SI certum est atque expeditum, vti est, in feudo nouo non admitti adscendentes: iure ac merito colligimus, ab illo eos excludi, siue sit feudum nouum *simplex*; siue sit *iure antiqui*, vti vocatur, *concessum*. De illo nemo id in dubium vocabit; sed alia de hoc est quaestio, quum iurisconsulti in illa decidenda haud conueniunt; sed maxime inter se dissident. Quum SAM. STRYCKIUS \*\*\*), GVIL. LVDWELL \*\*\*\*), LVDOLPHVS SCHRADERVS \*), PETRVS DE ROSENTHAL\*\*), CASP. HENR. HORNIVS \*\*\*), GOTTL. GERH. TITIVS \*\*\*\*), HENR. COCCEII \*), PHIL. HOFMANNVS \*\*) et ERNEST. IO. FRID. MANZELIVS \*\*\*), qui potissimum sententiam

\*) loc. citat.

\*\*\*) 2. feudor. cap. I.

\*\*\*) exerc. iur. feudal. cap. XVI. quaest. 3.

\*\*\*\*) in tractatu de success. feudi, cap. vi. reg. 4. p. 300.

\*) tract. de feudis, part. VII. cap. 6. vum. 4.

\*\*) de feudis, cap. VII. conclus. 14. num. 20.

\*\*\*) iurisprud. feudal. cap. XVI. §. 3.

\*\*\*\*) im deutschen Lehnrecht, cap. XXII. §. 2.

\*) hypomnem. iur. feudal. tit. X. §. II.

\*\*) de different. feudi noui et antiqui, §. 10. in IENICHEN, thes. iuris feudal. tom. I. p. 1044.

\*\*\*) diss. de eo, quod refert feudum esse vere antiquum, vel nouum, iure antiqui concessum, §. XVII.

tentiam suam copiose exponere studuit, adscendentibus eiusmodi in feudis successionem tribuere haud dubitarunt: ab us alias in partes discedunt LVDERVS MENKEN \*), IO. LAVR. FLEISCHERVS \*\*) ac GEORG. BEYERVS \*\*\*). Haud inficiamur, speciosa esse argumenta, quibus aduersarii opinionem suam confirmare se posse, putant, quamuis, quod vere mirandum est, nullum eorum MANZELIVS proferre potuerit; sed copiosis saltem extiterit ac multus in refutandis iis rationibus, quibus BEYERVS eius adseclae vtuntur. Nulla differentia adesse videtur inter feuda noua atque ea, quae iure antiqui sunt concessa, vbi in his haud admittendi sunt adscendentes, quumque eo accedit, agnatos a latere iunctos certa ratione iure succedendi in feudis iure antiqui concessis frui; illos vero non tam arcto vinculo iunctos esse cum defuncto vasallo; quam quod inter eum esse videtur illiusque adscendentes, iure hereditatem feudalem sibi vindicare posse videntur parentes, si hoc modo feudum filius sibi adquisiuit; verum tamen omnia haec nos a sententia, quam antea tradidimus, defectere nequeunt. Ante omnia supponimus, nullo pacto hac in re prospectum esse parentibus, siquidem illo inito, eos merito admittere nos oportet, ob praeceptum iuris patrii, supra a nobis comprobatum; illo autem deficiente, successionem parentibus iure denegamus. Si feudum iure antiqui conceditur, ipsi nihil aliud, quam natura feudi antiqui tribuitur. Merito itaque statuimus, de feudo tali non valere, quod non valeat de feudo antiquo nosque ita a feudo vere antiquo ad eiusmodi feudum argumentamur, vt, si quidquam locum haud habet in feudo vere antiquo, de feudo iure antiqui concessio vel minimum eo nomine haud id adfirmemus, quod sit iure antiqui concessum. Existit semper discrimen inter vtraque feuda, si adscendentes quo-

\*) de finit. inuestitura ad  
scend. ad success. feud. apud Saxon.  
necess. §. 16.

\*\*) instit. iur. feud. cap. 12.  
§. 2.

\*\*\*) loc. excitas.



quoque a successione in vtrisque excludamus. Nemo iuriconsultorum statuit, collaterales non posse capere iure hereditatis feudum; nisi licitum id quoque est parentibus.

## §. XVIII.

TANDEM haud interest, vtrum sint feuda *data*; an *oblata*: vtrum *franca*; an *seruitiis quibusdam onerata*. De datis atque iis feudis, quorum possessores ad seruitia quaedam sint obligati, non opus est, vt verba faciamus, quum neminem fore speramus, cui in mentem veniret, in iisius succedendi parentibus tribuere; eadem autem ratione sunt comparata feuda oblata ac franca; nisi in eorum constitutione pactum interuenit, ad quod hanc in rem prouocare licet patri. Quod ad feuda pertinet oblata, sunt quidem, qui persuasum habent, ordinarie pro impropriis illa esse habenda, ob conditiones, sub quibus vasalli feudum offerre solent domini directi \*); verum enim vero alii iuriconsulti, videlicet IO. FRID. HERTIVS \*\*), CHRIST. HANNACCIUS \*\*\*), BVRC. GOTTH. STRV-  
VIVS \*\*\*\*) ac GEORG. LVDOV. BOEHMERVS \*) recte animaduertunt, praesumptionem, ad quam aduersarii prouocant, tanti ponderis haud esse, vt eam excludat, quae pro natura feudorum propriorum locum habet ideoque etiam in feudis oblatiis esse denegandam patri successionem. Quumque feuda franca etiam sunt feuda, et licet impropria iure meritoque dici queant, si ad seruitia respiciamus, quae in illis cessant; praeter ea tamen iis cum aliis feudis omnia, quae de iis in legi-

D 2 bus

\*) WVRMSERVS de feudis impropriis, quocum conferendus est EYBEN electis feudalibus, cap. IX. p. 213.

\*\*) dist. de feudis oblatiis, part. II. §. I. et 40.

\*\*) de eo quod refert feudum datum esse; vel oblatum.

\*\*\*\*) element. iur. feudalis, cap. vsq. §. 176. p. 162.

\*) princip. iur. feudalis, libr. I. sect. II. cap. 2. p. 30.

bus sunt sancita, communia\*); nullo iure eo nomine patri in feudis francis successionem adscribere possumus, quod a seruitiis sint libera, vti recte monet GEORG. BEYERVS \*\*).

## §. XVIII.

OMNIA haec si curate ponderamus, sine difficili negotio in iis deprehendimus vestigia iuris patrii, quod parentes quondam a liberorum hereditate exclusit et vel minimum illorum ius succedendi circumscriptis limitibus. Illud haud perspicere auctores videntur iuris Longobardici \*\*), quum in natura feudorum rationem quaerendam esse censent, cur parentes liberorum feuda hereditatis iure capere haud possent; sed nequaquam id concedere possumus. Quum pater ad seruitia praestanda eadem ratione habilis esse potest, qua illa a filio sunt praestita et tantum senectute nonnunquam impediatur, sine discrimine haud excludendi fuissent parentes a successione feudali, si in natura feudorum causa esset ponenda, cur ii haud admittantur; omni vero hac in re discrimine remoto, vterius vt progrediamur ac in principio iuris Germanici, supra exposito, verum fundamentum huius successionis quaeramus, necesse est. Mirum dein quidem est, quantum haec exclusio parentum torqueat recentiores iurisconsultos, BITSCHIVM \*\*\*) , RITTERSHVSIUM \*) aliosque, eius veram rationem inuestigaturos; sed reuera nullam indicare audent. Qui vero hac de re quoque quidquam proferunt, tradunt, feuda saltem concedi vasallo eiusue heredibus descendentibus; sed per id a nobis haud dissident. Concedere hoc ipsis possumus; vbi autem in rationem

\*) breuitatis causa lectores 'ad STRVVIVM, element. iuris feudal. cap. XVIII. §. 472. p. 434. ablegamus.

\*\*\*) progr. ascendentium in feu-

dis nullam esse successionem, §. 14. p. 361.

\*\*) 2. feud. cap. 50.

\*\*\*\*) comm. ad 2. feud. cap. 50.

\*) partit. feudal. cap. 12. num. 9.

nem, cur saltim praeter vasallum eius heredibus descendentibus feudum promittatur, inquiramus, semper ad principium iuris patrii, antea traditum, confugere, et in illo veram huius praecepti iuris feudalis causam quaerere debemus.

§. XX.

ACCEDIMVS iam ad alterum principium iuris Germanici, quod in successione adscendentium feudali latet, quodue inuenimus, vbi parentes, si quoque ad successionem admittantur feudalem, eam solum habere; neque cumiis simul agnatos, a latere iunctos, feudum capere, deprehendimus. Neque tironem fugit, secundum ius ciuile vna cum parentibus germanos eorumue liberos simul succedere; verum haec sanctio Germanis haud placuit ideoque factum est, vt, si quoque parentes hereditatis capaces esse statuerent, illos omnibus agnatis a latere iunctis praefereudos esse, censerent. Ex decreto SALIORVM \*) fratres; vel sorores tum demum hereditatem obtinent, *si pater; aut mater non superfuerint.* Idem iubent RIPVARIJ \*\*) ac WISIGOTHI \*\*\*); paullo recentiora iura autem adhuc plura nobis exhibent testimonia, Saxones potissimum, optimos morum patriorum custodes ac vindices, fratres eorumue liberos parentibus postposuisse. EYCKIUS DE REPGOV \*\*\*\*) de Saxonibus scribit: *Stirbt ein Mann ohne Kind: sein Vater nimmt sein Erbe. Hat er des Vaters nicht: es nimmt es seine Mutter mit mehren Rechten, denn seine Schwester; oder Bruder;* illud autem in omnibus fere antiquioribus; Saxonibus legibus ac statutis ad-

D 3 pro-

\*) tit. LXII. §. 2.

\*\*\*) tit. LVI. §. 2.

\*\*\*\*) lib. III. tit. II. §. 5.

et 8.

\*\*\*\*\*) lib. I. specul. Saxon. art. 17.


30 PRINC. IVRIS GERM. IN SVCCESIONE ETC.

probatum est, videlicet iure HAMBVRGENSI \*), STADENSI \*\*),  
WVRSATENSI \*\*\*) , BREMENSI \*\*\*\*), GOSLARIENSI \*) ,  
VERDENSI \*\*) aliisque. Neque difficile nobis foret nego-  
tium, alias quoque nominare leges; sed in his adquieti-  
mus, ac solum animaduertimus, iure Romano infecta esse  
illa statuta, quae aliud statuunt \*\*\*). Nonne autem itaque ite-  
rum succedendi ordo feudalis adscendentium iura sapit patria,  
quum GEORG. AD. STRVVIVS \*\*\*\*) atque CASPAR. HENR.  
HORNIVS \*) testes sunt, excludi collaterales omnes a parenti-  
bus, si ad feudalem hereditatem admittantur, a liberis  
relictam?

- \*) part. III. tit. III. §. 2.  
\*\*) lib. II. tit. II. art. 7.  
\*\*\*) obseruat. iur. uniuers. p. 180.  
\*\*\*\*) art. 6. §. I. apud eundem  
tom. I. p. 63.  
\*\*\*\*\*) Bremische Ordeele, ord. XI.  
\*) apud LEIBNITIVM, scrip-  
torem Brunsvicens. tom. II. p. 454.  
\*\*) Verdische Statuten, num. 25.  
in IVVENDORFII tom. I. obser-  
uat. iur. uniuers. p. 86. Addas V. C.  
DREYERVM, in der Sammlung ver-  
mischter Abhandlungen, tom. I. p. 106.  
\*\*) nominamus hanc in rem  
Ius provinciale Hadelense, part. III.  
tit. XIII. num. 2. ius municipale  
Osterndorfense, art. 10. atque alia.  
\*\*\*\*\*) System iuris feudalis, cap.  
VIII. p. 298.  
\*) iurisprud. feudali, cap. XVI.  
p. 328.



NOBL-

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
IOANNI FRIDERICO VOIGTIO


S. P. D.

P R A E S E S.

**S**i quid vnquam mihi iucundum fuit atque acceptum, illud hodie mihi euenire, ingenue fateor, quum **TE** eum in locum comitari mihi liceat, ex quo frater optimus, ante nouem annorum spatium, vt ex palaeſtra gladiator vetus ac nobilis, palmam ferens, meis ſub auſpiciis diſceſſit. Quum rectam vitae aequae ac ſtudiorum rationem iniuſti, ex quo noſtram ſalutaſti academiam, omnibus doctoribus, quos adiuſti, diſcendi cupiditate aequae ac laudabili induſtria **TE** comendaſti, omnibus iis diſciplinis, quae ſcitu ſunt neceſſariae futuro iuriſconſulto, animum polire ſtudiuſti mihiſque quolibet fere certaminum priuatorum, in quibus cum amicis de iure docte atque acute diſputares, egregia ſpecimina progreſſionum, a **TE** in legum ſcientia factarum, exhibuiſti, praeuideo iam, **TE** hoc ex conflictu publico eandem laudem eſſe reportaturum, quam ſuauiſſimus frater promeruit, ideoque eo maiori iure laetor, quod me eius teſtem eſſe volueris primarium. Gratulor **TIBI** de rerum **TVARVM** ſtatu fortunato ex animo ſimulque deum oro ac contendo, vt per longam annorum ſeriem ſaluus ſis ac incolumis, omniaque, quae ſuſcipis ex animi ſententia **TIBI** ſuccedant; ex iis autem reſpublica multa commoda et conſultiſſimus **TVVS** pater, quem honoris cauſa nomino, quotidie praemia prudentis educationis, ſeneſtutis nimirum capiat oblectamenta. Vale, mihiſque faue. Ienae, d. v. aug. anno reparat, ſalutis, **CIOIOBCLXVII.**

ALIV

PRAE-



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
**DOMINO RESPONDENTI**

AMICO AESTVMATISSIMO

S. D. P.

**I. C. L. DE SCHELLWITZ I. V. D. ET P. P.**

**Q**VAM mihi benevole demandare voluisti, dissentientis sparam tanto lubentius suscipio, quanto certius sperare, quin imo plane confidere licet, ex doctissimo TVO colloquio summam me voluptatem percepturum esse. Gratulor TIBI sincero ex animo de insigni honoris laudisque accessione, qua ea, quam apud omnes non minus ob rarae atque solidae doctrinae thesauros, quam ob singularem morum elegantiam, iam dudum habuisti, existimatio, iam angebitur. Faxit supremum benignissimumque numen, ut saluus et incolumis ad patrios lares reuertaris et eruditionis fructus, quos mereris hoc est vberimos ad feros annos laetus percipias. Vale ac eius memoriam TIBI commendatam habe, qui in TE amando semper omni studio occupabitur. Dabam Ienae die XXIX. Iulii A. R. G.

MDCCLXVII.

VIRO

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
 DEFENDENTI ATQVE AVCTORI  
 HVIVS DISSERTATIONIS  
 FAVTORI AC AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. D. P.


IO. AVGVSTVS REICHARDT D.

CVR. PROV. SAX. ADV. ET SYND. ACAD.

**E**QVIDEM iam dudum ex plurimis ingenii speciminibus colligere licuit, quam fauricem nactus sis naturam, in ea vero opinione haud vulgare, quod iam edis, eruditionis TVAE documentum me mirum in modum confirmat. En dignam congratulandi materiam. Succedant TIBI omnia ex voto et sententia, succedant praemia, quae studiorum sollertiae respondeant. Dissidentis spartam in me conferre TIBI placuit, quam recusare eo magis religioni mihi duco, cum ea ipsa, quae inter nos intercedit amicitia, a conflictu quodam litterario ortum suum ducat, cuius temporis gratissimam memoriam haec dies renouat. Dabam Ienae pridie Kal. Augusti

CIDIOGCLXVII.

VIRO



VIRO  
 PRAENOBILISSIMO  
 RESPONDENTI DOCTISSIMO

S. P. D.

LVDOVICVS HARTMANNVS RISCHEMANN.

PIPONTINVS

O P P O N E N S

Nihil vnquam mihi neque iucundius, neque optabilius esse potuit, quam vt occasionem mihi suppedites illum publice TIBI declarandi amorem, quo TE semper amplexus sum. Non mihi tanta dicendi VIS, nec tanta verborum copia in est, qua satis eruditionem tuam ac singulares tuas ingenii dotes efferre possum. Quum vero hodie specimen diligentiae atque industriae egregium splendidumque, non solum TIBI, sed et omnibus tuis amicis patriaeque TVAE ex animo gratuler necesse est. Placuit autem TIBI, nouum amicitiae TVAE testimonium mihi praebere et opponentis partes mihi imponere. Quamquam vero ad hocce munus rite administrandam VIRVS meae haud sufficiunt, tamen eo maiori audacia illud in me suscepi, quo magis de TE persuasus sum TE imbecillitati meae indulgere. Quibus addere vota licet ardentissima, vt benignissimum numen TE omni felicitatum genere orner, omniaque fauste TIBI eueniant, et posthaec quoque me TIBI habeas commendatissimum amantissimumque. Dabam Senae d. VII.

Aug. MDCCLXVII.










ULB Halle  
004 453 824

3



Sb







PRINCIPIA IVRIS GERMANICI 1767, 8

IN  
SVCCESIONE ADSCENDENTIVM 21  
FEVDALI

QVAE  
P R A E S I D E  
CAROLO FRIDER. WALCHIO

IVR. DOCTOR. ET PANDECT. PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
CVRIAE PROVINC. SAXON. COMMVNIS IVRISCONS. ORDINIS ET  
SCABINOR. COLLEGII ADSESSORE SOCIET. LATIN. IENENSIS  
EPHORO ET FLORENTINAE COLUMBARIAR, DVISEVRG.  
AC BREMENS. LITTER. COLLEGA

ACAD. H. T. RECTORE


D. VII. AVG. ANN. REP. SALVT. CIOIOCCCLXVII.

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI

SVMITTIT

IOANNES FRIDERICVS VOIGTIVS

RONNEVRGENSIS, LEGVM CVLTOR.



I E N A E  
LITTERIS STRAVSSII

